



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quomodo orientem Licinius diuexarit. Cap. XLII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

siones quasdam patefecit. Nam illū sæpenumero diuino suo dignauit aspectu, perq; diuinā visionem ei res, quæ supra hominem putandę sunt, ostendit & varias p̄notiones rerum suggerit futurarū. Miracula verò per dei gratiam illi ostentata, ne dicendo quidem exprimi possunt; neq; oratione præterea quisquam ea subsidia complecti valet, quæ deus seruo suo suppeditare dignatus sit. Quibus firmè septus, reliquū vitæ cursum tutò & tranquillè traduxit: beneuolentia subiectorum est in primis lætatus: lætatus etiam cum omnes ipsius ditiois parentes, vitam pacatā & tranquillā degere cerneret: lætatus deniq; maximè cum dei ecclesias gaudio & lætitia frui videret.

Constantini panegyris, quæ decimo regni eius anno celebrata est. CAP. XLI.

CVi hoc pacto vitam transigenti, decimus imperii sui annus confectus est. In quo festos dies solennes & publicos celebrare, precesq; quibus gratias ageret, tanquam sacrificia quędam ignis & nidoris expertia, deo omnium regi dicare cępit.

Quomodo orientem Licinius diuexarit. CAP. XLII.

ATque vt in his plurimum percepit oblectationis: sic de illis quæ in oriente magno cum tumultu & perturbatione gesta esse auditione acceperat, maioris non parum. Nam ei nuntiatum est, belluam quandam immanem & ferocē illic tum dei ecclesię, tum reliquis provincialibus insidias tendere (quippè dæmō nefarios omnes suos neruos contendit, quò iis, quæ erant, à pio imperatore cōfecta, cōtraria prorsus perageret) vsq; eo vt imperium Romanum in duas partes diremptum, noctis tenebris, & splendori diei omnibus persimile videretur. Nam his, qui orientem obtinebant, tanquam noctis caligo offundebatur: illis autem, qui erant alterius partis incolę splendor clarissimę diei illucescebat. Quos tā infinitis bonis diuina prouidentia suppeditatis frui neque diabolus inuidia exastuans, virtutiq; infestus, æquo animo spectare tolerareq; neq; tyrannus, qui alteram orbis partem opprimebat, omnino ferre potuit: qui quidē cum imperium sibi prosperè succederet, & Constantini tam

Hh eximii

EVSEBII DE VITA

eximii imperatoris sorore duxisset, relicta preclarorum hominum imitatione, perditos impiorum mores & institutum æmulari cepit. Et quorum infelicem vitæ exitum oculis aspexisset, eorum sceleratam mentem sequi maluit, quam in firma præstantioris viri amicitia acquiescere.

Quomodo Constantino quoque Licinius perniciem machinari cogitauerit. CAP. XLIII.

ITaque nec legum amicitia, nec fœderum, nec cognitionis, nec pactionum, memoriâ omnino animo tenens, bellum crudele & pestiferum contra patronum suum monet. Nam sicut Constantinus utpote princeps humanissimus, verè benevolentia erga illum ostendit inditia, maiorum cognitionis, regii sanguinis antiquitus ducti confortem fieri voluit, sorore ei collocavit in matrimonium, liberam denique totius imperii perfructum potestatem tanquam cognato & collegæ regni tribuit. Sic ille contraria animo statuens, contra meliorem præstantioremque hominem machinas comparavit: aliosque alias excogitavit insidiarum modos, quod patroni sui benefacta malefactis compensaret. Ac primum amicitiam callidè & veteratorie simulans, dolo & fraude egit omnia & propterea, que temerè admittebat, clam fore speravit. Cæterum eius insidias ex occulto structas deus famulo suo patefecit. Iste igitur simulac fuit in primis illis conatibus manifestò præhensus, ad secundas fraudes se contulit: Cæpitque interdum benevolentiam & necessitudinè prætexere, nonnunquam fœderibus & iureiurando fidem facere tum quasi de repente decreta antiquare: rursus per legatos supplicare: iterum ex mendacii simulationibus turpi ignominia labe notatus, tandem bellum palam indicere ac mentis adeo temeritate & insolentia incitatus, de cætero ipsi deo (quem Constantinum imperatorem angustè venerari cognovit) se opponere.

Licini technæ contra episcopos, & conciliorum inhibitione. CAP. XLIIII.

Primum enim contra dei ministros, eius subiectos imperio, qui nunquam quicquam criminis contra imperium admisissent, pedetentim tum & dissimulanter, causas astute & fallaciter confictas aucupari molitus est. Et cum